



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die quarta Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Septemb. 4.

N A T A L E S

lationem septimo Calendas Iulij, & commemo-
rationem septimo Iduum Maij. Porrò duæ sunt,
quas diximus, sancti Remacli abbatiae, Stabule-
tum, & Malmundarium, quarum posteriorem
Henricus rex Coloniensi episcopo dederat. Cum-
que rex nulla fratum repetentium eam impor-
tunitate moueretur, diuina, vt fertur, reuelatio-
ne, Leodium ossa beati Remacli tulerunt, & in
celebri conuiuio super mensam posuerunt, obse-
crantes vt si minus filiorum, saltem patris mis-
reatur, de iniurijs suis quotidie ad tribunal æterni
iudicis proclamationem facientis. Rex primùm
iratus, punitionem facti meditabatur, sed attoni-
tus miraculorum multitudine, quæ subsequeban-
tur, non solum ablata restituit, sed etiam regia
dona adiecit. Scribit id in Hirsfeldensi Chronicô
An. 1071. Lambertus Scafburgensis. Cui autem ista non
Nodge. 10. sufficiunt, is reuoluat tres libros Nodgeri episco-
s. Surij. pi Leodiensis, quos scripsit de vita & miraculis
sancti antistitis.

Die quarta Septembris.

Memoria beatæ Irmgardis.

Ex vita Latinè impressa.

Coloniæ, in maiori ecclesia, Irmgardis vir-
ginis, in cuius præfesto ibidem campanæ
pulsantur, sicut in præfestis Sanctorum, licet non
sit canonizata.

In vita Latinè impressa, quæ corpus eius visitantibus ex-
hibetur, afferitur filia Comitis Zutphanensis, quæ oibara
patre, caltrum Brochspeel & oppidum Reis, hæres possedit,
eaque moriens legauit sancto Petto Coloniæ.

Conuentui vero sancti Pantaleonis, in quo frater abbas
erat,

erat, legauit forestum *Suichtelem*, cum suis pertinentijs, quod statim post mortem patris, bonis operibus dedita, inhabitauit. Ter profecta est Romam, & in secunda profectione ad summum pontificem tulit in chirotheca terram ex coemeterio undecim millium virginum: à quo Coloniā retulit caput sancti Siluestri.

Constituit præterea & dotauit hospitale, in *Hachtorijs* nominatum: ubi deuotissime & pauperibus seruiuit, & diem suum obiit. Post transitum sepulta est apud tres Reges. Vbi quotidie corpus eius omnibus videndum patet, in sacello sancti Bernardi, de monte Louis.

Die quinta Septembris.

De sancto Bertino abate.

Ex Martyrologio D. Bertini.

IN pago Teruānensi, monasterio dicto *sibiu*, depositio almi patris nostri sancti Bertini, abbatis & confessoris. Qui vita & miraculis insignis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo octaua migravit ad Dominum. Vbi dum dies Caniculares finem faciunt, sicut venerabilis Gregorius Turonensis episcopus scribit, fine ultimi diei mutati sunt viri sancti inuicti labores, quoniam dum termino virtutis diem clausit ultimum, in regeneratione viua diem accepit perpetuum, Iesum Christum Dominum nostrum. Hic patria Constantiensis, cum Mommoleno & Bertrammo, ex Luxouensi cœnobio egressus est, ad Trinitatis fidem prædicandam. Qui tres à beato Audomaro suscepit, officium legationis suæ labore continuæ prædicationis subibant. Inter roros quos sanctus Bertinus, plenus ætate & Spiritu sancto obiit, sepultus in *sibiu* monasterio, quod ipse construxerat, sumptibus potissimum viri nobilis

*Locus non
extat in
Greg excu-
sis libris.*

Nec verum

esse potest

cum mors

S. Bertini

sit annis

centis Gre-

gorio poste-